

† R. P. Iosephus Johannemann (1860–1934)

(*Vice-Prov. Argentinae*)

R. P. Iosephus Johannemann in pago Westfaliae Recke die 8 Martii anno 1860 lucem huius mundi primo aspexit. Ubiprimum ratione uti ac devotos animi affectus concipere exorsus est, apud se statuit velle se mundo valedicere seseque Deo Optimo Maximo in mancipium perpetuo dicare. Cum vix septem annos natus esset, non modo sancto Missae Sacrificio interesse, verum etiam sacerdoti ad altare inservire libentissime consueverat. Nihil autem tam ardenti animi affectu cupiebat quam ut anniversarius dies festus adventaret Sancti Dionysii, quo Patrono utebantur incolae Reckiani quemque sollempni prosequerentur cultu, addita Octava cum contionibus a Patre Redemptorista habitis. Ea de causa pedetentim puerulus noster animum ac desiderium concepit de amplectenda Redemptoristarum vita, quod quidem desiderium in dies increvit usquedum firmum propositum evaderet, firmum certe, at non facile re complendum.

Aliquoties de vocatione sua locutus est cum parentibus, qui tamen nihili eam facere pueroque lacrymanti irridere videbantur. Sed inde nihilo imminutum est propositum eius, verum in dies factum est robustius, quod non magis pueri firmae voluntati est adscribendum quam orationi ac devotioni in Beatissimam Virginem Mariam. Non semel, amicis et comitibus hilariter ludentibus, ipse clam in ecclesiam se conferebat ut orationes funderet novasque pro hoc negotio nec vanas cumlaret animi vires. A Beatissima Virgine etiam aliquod signum petivit unde ad vitam religiosam

se vocatum agnosceret, nempe velle se nihil amplius ea de re loqui usque dum parentes ipsi sua sponte veniam concederent. Tandem oratio eius exaudita est signumque impletum. Anno 1869 renovatio habita est antea actae missionis et Iosephus noster die quodam post meridiem apud matrem solus aderat, cum haec repente, aliquid animo volvens, sic exorsa est loqui: « Verene statutum habes, fili, ut religiosam vitam amplectaris? » Non aliter ac fulmen haec verba animum Iosephi perculerunt; sed statim firma voce respondit: « Ita prorsus statutum habeo, ac Deo favente rem opere complebo ». Tunc mater: « Meam, inquit, veniam et consensum tri-

buo, sed et pater veniam dabit; pro me autem res ita se habebit ac si morte sublatus fores ». Sic ergo prima difficultas quae vocationi eius obstabat evanuit, et ipse, in genua provolutus, tam Deo quam Beatae Mariae Virgini gratias habuit.

Tunc, Deo ita providente, parentes Iosephi a pago Recke in urbem Ibbenbüren domicilium suum transtulerunt, ubi « rectoralis schola » seu pro-gymnasium exstabat. Hic loci iuvenis noster a patre petivit ut in gymnasium mitteretur. Pater primum annuit, postea vero renuit ac demum vocationem Iosephi impugnabat. Hic vero firmo manebat animo ac denuo in oratione spem suam collocavit et in superno auxilio, quod qui-



P. Johannemann circa a. 1918.

dem oportuno tempore adfuit. Etenim Iosepho nostro venit in mentem ut recta via ad Patres Redemptoristas se converteret et ab ipsis admissionem in claustra flagitaret. Quadam Dominica hora pomeridiana in cubiculum se contulit atque epistolam scripsit ad Patrem Rectorem collegii Maria-Hamicolt, quin tamen certo sciret utrum ibi collegium Redemptoristarum exstaret necne; sed magna fiducia et instinctu quodam divino omnia divinabat. Revera non multo tempore post pater pueri nostri a R. P. Vierhaus, Rectore domus Maria-Hamicolt, litteras accepit ad Iosephum nostrum scriptas, quibus hic ad perseverantiam in vocatione monebatur. Ex eo tempore mutuum litterarum commercium Patris Vierhaus cum Iosepho stabilitum est. Pater vero laudati iuvenis iam clarius in hoc negotio voluntatem Dei agnoverat quam ut resistere pergeret, immo vero ipse et uxor iam laeto animo cum filio de vocatione agebant.

Iosephus undecim annos natus erat, cum gymnasii aulas adiit. Studia ipsi facilia evaserunt, quia non minus claro quam subtili utebatur ingenio. Duodecim annos natus sacram Synaxim suscepit. Tunc autem magnis

volvebatur probationibus; nam spiritus eius subobscura quadam obducebatur caligine ac per triennium frequentissimis gravabatur tentationibus, quas tamen auxilio Dei feliciter superavit. Iterum vero atque iterum a patre multa ipsi toleranda erant ob expensa studiorum et alia ob invidiam condiscipulorum; quae quidem omnia cum Patre Vierhaus fiducia- liter communicabat, quemque deinceps in patrem ac ducem sibi assumpsit.

Anno 1875 gubernium id egit ut scholas rectorales supprimeret. Quod cum aliis iam obtigisset et idem pro-gymnasio Ibbenbüren immineret, R. P. Vierhaus, tempestive monitus, Iosephum nostrum certiore fecit de eius in Congregationem nostram admissione. Nuntium hoc tam iuvenem quam parentes eius maximo gaudio affectit, ac tandem aliquando, rebus suis rite compositis, Iosephus die 28 Septembris 1875 parentibus et fratribus valedixit mundumque reliquit ad vitam religiosam amplectendam. Idque siccis oculis effecit, at non sine maximo animi dolore, praesertim cum ultimo fratrum suorum dexteram stringeret. Ab Osnabrück per Coloniam Agrippinam ac Treviros Luxemburgum profectus est, et inde domum novitiatus Tavigny, intra Belgii fines sitam, petivit, ut virtutibus colendis operam daret floresque proferret qui labentibus annis in fructus succrescerent uberrimos et opimos. Fructus autem non omnes, sed praecipuos saltem delibare operae pretium erit.

Prima probatione feliciter et cum magno fervore transacta, novitius noster ad perpetuam professionem admissus est die 15 Octobris anni 1876. Post professionem autem Luxemburgum petivit, ibique novem annis cum dimidio studiis non modo superioribus verum etiam humanioribus operam dedit, quia rectoralem scholam quatuor vix annos salutaverat. Non abs re erit hic innuere quod in studiis maximopere profecit, ita ut non modo scientiarum sacrarum gnarus esset, verum etiam in lingua patria optime versatus; tam soluta quam ligata oratione elegantissime componebat, quod similiter servata proportione de aliis linguis et imprimis de Hispanica lingua aliquot annis post merito affirmari potuit. Finito studiorum curriculo, sacerdotio auctus est 23 Martii 1886.

Duos annos, et quidem ipsi iucundissimos, in patria laboravit ad animas Deo lucrandas. Postea, voluntati Dei et Superiorum obtemperans, oceanum traiecit et ad oras Argentinae regionis appulit die 31 Octobris 1888. Bonis Auris primum addiscendae linguae Hispanicae operam dedit. Nova domo Montevideana erecta, ipse fuit unus e primis qui communitatem illam efformarunt. Quod idem dicendum de tertia fundatione, anno 1893 Saltae in septentrionali regione Reipublicae inita. Tribus annis Saltae commoratus, anno 1896 Bonas Auras translatus est ibique per aliquot annos moderamen suscepit Circuli Centralis Operariorum Catholicorum, de quo Circulo optime sane meritus est. Die 20 Novembris 1898 P. Johannemann Consultor Viceprovincialis est renuntiatus et mensibus quinque,

a 1 Februarii ad 26 Iunii 1901, vices gerebat absentis Patris Visitoris Friderici Grote. Cum anno 1905 Pl. R. P. Spoons apud nostrates visitationem canonicam institueret, Visitori qua socius adfuit in Montevideana domo visitanda. Postea ibi remansit usque ad 19 Iunii anni sequentis, munere fungens Magistri secundi novitiatus iuniorum Patrum Sandbothe, Guerrero, Wawer, Judermanns. Nec immerito P. Johannemann pluries



P. Johannemann circa a. 1888.

factus est Magister secundi novitiatus, quia in eo erant dotes oratoriae non vulgares aptusque omnino videbatur qui, quod ipse possidebat, id cum aliis communicaret. Secunda probatione finita, P. Johannemann Bonas Auras reversus est; sed die 19 Martii anni 1907 nominationem recepit Magistri novitiorum, imprimis trium iuvenum qui, primi iuvenatus fructus, Congregationi in Vice-Provincia nomen erant daturi. Hanc ob causam, et ob secundum novitiatum iterum regendum, Monteviduum contendit ibique mansit usque ad d. 24 Februarii anni 1909, quo die Bonas Auras revertit, donec d. 22 Novembris, post nominationes recenter latas, Monteviduum repetiit ad mores informandos novitiorum. Anno 1911 res politica in Uruguarua religiosis admodum adversa erat et merito timebatur ne ipsis aqua et igni interdiceretur,

quapropter Superiores pro sua prudentia novitiatum Bonas Auras transferendum curarunt a mense Maio ad mensem Februarium anni subsequentis. Sed mense Augusto recens nominatio Patrem Johannemann ad fastigium Visitoris seu Vice-Provincialis evexit.

Novo hoc munere functus est octo annis, eoque temporis spatio quamplurimum laboravit, tum ut verum S. Alfonsi spiritum in subditis conservaret, tum ut numerum Congregatorum augetet, tum ut animarum saluti consulere, tum demum ut Ecclesiae bonum curaret splendoremque religionis promoveret. Anno 1915, fere universa Europa bello flagrante, cum difficile admodum evaderet neoprofessos in Germaniam mittere ad studia prosequenda, P. Johannemann id egit ut iuvenes nostri studiorum causa Asturicam Hispaniae mitterentur, quod quidem factum est usque dum pro studiis peragendis provisorie deputata est domus novitiatus Manuel Ocampo anno 1932, si excipias studentes illos quibus caelum Asturicense aut difficile nimis aut noxium videbatur. Anno 1918 P. Johan-

nemann etiam magnas partes habuit in erigenda nova et ampla domo iuvenatus in pago Bella Vista prope Bonas Auras.

Defunctus confrater etiam qua Superior Vice-Provinciae primum nostrum apostolatam, missionum scilicet popularium, strenue, immo heroice exercebat ac promovebat. Secutus exemplum S. Fundatoris populorum opis spiritualis egentem valde amabat, neque ullum negotium ei gratius erat quam iuniores missionarios consiliis paternis adiuvare.

Opus autem cum maxima animi fortitudine susceptum et felici successu ad finem deductum fuit Administratio Apostolica in Republica Uruguay ex auctoritate Sanctae Sedis habita a die 27 Aprilis anni 1918 ad diem 14 Novembris anni 1919.

Tunc temporis Ecclesiae Uruguayensis condicio miserrima erat. Etenim post obitum Archiepiscopi Soler metropolitana sedes per decennium viduata remansit. Duae dioeceses suffraganeae Salto et Melo, iamdudum a Sede Apostolica creatae, nunquam Antistitem viderant. Tandem plena separatio Status ab Ecclesia introducta. «Atvero tunc ipsum apparuit (ita scripsit quaedam ephemeris catholica), quantum fidelis filius S. Alfonsi ac religiosus non minus prudentia quam animi energia praeditus cum Dei auxilio efficere possit. Compluribus litteris pastoralibus Administrator seu Visitor Apostolicus sese ad clerum populumque Reipublicae convertit, omnes ad cooperandum excitans, dignitate ac fortitudine apostolica exhortans monensque. Pro sustentandis magistratibus ecclesiasticis, Seminariis... collectam nationalem instituit, quae statim in prima quaestuatione Montevidei tantam vim pecuniae collegit, ut eius faenus summam a gubernio eousque singulis annis pro cultu catholico erogatum superet. Materiali basi sic creata P. Johannemann Romae obtinuit et sedi metropolitanae et sedibus suffraganeis dignos pastores».

Novo Archiepiscopo *Aragone* novisque Episcopis *Camacho* et *Semeria* per Nuntium Apostolicum *Vassallo de Torregrossa* d. 9 Nov. 1919 consecratis et devoluta iam administratione ecclesiastica ad hos locorum Ordinarios, Administrator ipse pauper et humilis domum rediit. Prius tamen Eximius Nuntius haec magni momenti verba ei scripsit;

*Alabo, agradezco y aplaudo la labor inteligente, constante y abnegada con que Os habeis dedicado en Vuestro gobierno a la organización eclesiástica, conforme con las necesidades actuales y las prescripciones del nuevo Código del Derecho Canónico. No dudo que ella, continuada y completada por los nuevos Prelados, ha de ser fuente de grandes bienes para la Iglesia Uruguaya. Que el Señor sea Vuestra compensa.*

Etiam «foedus iuventutis catholicae» vespere 13 Novembris in Patris Johannemann honorem epulas apparavit quam sollemnissimas ac celeberrimas, de quibus acta diurna *El Bien Público* tum scripserunt: «Erat obsequium democraticum sensu huius vocis nobilissimo et propterea plane

aptum ad demonstrandum affectum venerationemque erga spiritum modestum, affabilem vereque democraticum Revm̄i Visitoris Apostolici ».

Demum die profectionis 22 Novembris ingens multitudo ad portum congregabatur abeunti Visitori valedictum. Lacrimae haud paucae sparsae sunt. Quantus vero applausus, quanta animorum commotio exorta est, cum venerandus vates aetatis heroicae Uruguayae, grandaevus poeta *Zorilla de San Martín*, humilem filium S. Alfonsi nomine omnium palam amplecteretur!

P. Johannemann, Bonas Auras profectus, inde Rosarium petivit, domum illam gubernaturus quae post mortem Patris Brescia canonico indigebat Superiore. Duobus fere annis post, die nempe 5 Iulii 1921, Oceani iter aggressus est, ut Romae apud Sanctam Sedem de negotiis a se gestis rationem redderet. Fuit autem unus ex ultimis quos Benedictus PP. XV, iamiam graviter aegrotans, ad conspectum colloquiumque admisit. Die 24 Novembris 1922 ex Europa reversus est una cum Pl. R. P. Bernardo Arens qui ad visitationem canonicam instituendam huc advenerat, primum domui Bonaërensi adscriptus, sed nominationibus anni 1924 renuntiatus Rector domus Saltensis. Eo munere durante a Sancta Sede mandatum accepit ut Sorores Adoratrices Argentinenses canonicè visitaret. Postea vero a Revmo P. Generali deputatus est ut in Provincia Hispanica canonicam visitationem perageret, sicuti iam antea Vice-Provinciam Hollandicam in Brasilia visitaverat, mensibus nempe Octobri et Novembri 1916.

Ab Hispania iterum profectus est Romam, postea vero ab Europa redux, anno 1927 visitationem instituit omnium mulierum religiosarum in Republica Argentina degentium, pro quo gerendo negotio ab Apostolica Sede novas et extraordinarias acceperat facultates, etiam accito sibi cooperatore benemerito Patre San Esteban C. M. F. Incredibile dictu quot labores per quinquennium sustinuerit, quot itinera susceperit, quam prudentiam, aequitatem bonitatemque exercuerit ut arduo negotio finem faceret, non offensis, immo vero conciliatis sibi animis omnium fere Religiosarum, uti ab auctoritate omni exceptione maiori declaratum est. Mense tandem Novembri 1932 Romam profectus est ut de sua gestione ad Sacram Congregationem de Religiosis referret. Postea in Germaniam se contulit, fortasse ut in patria vitae cursum tranquillo animo, at non sine labore rite consummaret.

Anno vero 1933, cum Pl. R. P. Iacobus Wagner Vice-Provincialis in Germania ivisset ut quaedam negotia de Vice-Provincia et de nova studiorum domo fundanda cum Provinciae et Congregationis Superioribus ageret, a Patre Johannemann id impetravit, ut iterum in Argentinam reverteretur, quod quidem effecit mense Aprili 1934, postquam Romam et Hispaniam denuo et ultimo pertransisset.

In portu Vigo maritimum iter arripuit navemque conscendit cui nomen *Sierra Nevada*, in qua navigabant Pl. R. P. Wagner una cum FF. laicis

Paulo, Winfrido et Amando. Die 19 Aprilis noctu ad portum nostrum appulerunt, nullumque tunc aderat indicium de morte Patri Johanne-  
mann proxime obventura. Attamen itineris defatigatio declinantem valetu-  
dinem carissimi confratris citissime confregit. Asthmate toto fere vitae  
cursu laboraverat, in extrema vero senectute nimia cordis pressione ange-  
batur. Qua pressione cerebrialis congestio exorta est et sanguinis in caput  
effusio, quae causa fuit ut placide in Domino quiesceret sexto post ad-  
ventum die, 25 Aprilis, hora fere 2<sup>1</sup>/<sub>2</sub> post meridiem.

Ex quo nuntius mortis eius percerebuit, quamplurima undique affluxe-  
runt signa commiserationis et tristitiae, praesertim Episcoporum viro-  
rumque dignitate pollentium. Episcopi Uruguariae non id modo egerunt,  
verum etiam preces publicas honoresque haud communes, velut sonitum  
lugubrem campanarum, indixerunt, ut ita grati animi sensus exprimerent  
in benefactorem de Ecclesia Uruguarysi optime meritum. In urbe Bo-  
näerensi Archiepiscopus Exm̄us D. Iacobus Aloisius Copello eo ipso die  
in cella defuncti aderat, ut responsorium defunctorum recitaret nobisque  
condoleret. Idem die de ceteris Episcopis qui tum forte Bonis Auris ade-  
rant, de Episcopis mempe Audino Rodríguez, Iuliano Martínez, Fortunato  
Devoto, Michaele De Andrea. Exm̄us autem D. Philippus Cortesi, Nun-  
tius Apostolicus, dignatus est postero die sollempnibus funerum praesidere,  
praesentibus e clero saeculari et regulari non paucis, multisque de feminis  
religiosis, et de statu laicali plurimis. Post meridiem exsequia habitae  
sunt et corpus tumulo datum est magno denuo comitatu amicorum. Etiam  
in foliis publicis tunc complures, sive ecclesiastici sive laici viri, de S. Al-  
fonsi filio humili e vivis sublato magnae admirationis verba scripserunt.

R. P. Iosephus Johannemann natus erat annos 74, e quibus 58 Deo sa-  
craverat per professionem religiosam, 48 vero per sacerdotium. Altiori  
statura praeditus eleganti omnino apparebat aspectu. Cute pallida, capite  
cano, oculis caeruleis, voce gravi ac gestu moderato sic aliorum animos  
demulcebat, ut amorem simul ac venerationem in ipsum conciperent.  
Externis his corporis qualitibus eloquentia virilis aliaeque praeclarae  
dotes et mentis et cordis aptissime respondebant. Qui amicitia et consue-  
tudine eius utebantur, facere omnino non poterant quin aequitatem in eo  
admirarentur animique firmitatem bonitate quadam temperatam. Cum in-  
genii acumine potiretur et eruditione non parva, forte interdum suis ni-  
mium adhaerebat opinionibus, nihil tamen officit quod recta via Dei be-  
neplacitum intenderit. Vitam interiorem colebat et in agendi aut incedendi  
modo pietatem intimamque cum Deo unionem prae se ferebat. Vere iustus,  
ex fide vivebat omnemque cogitandi aut agendi rationem ad fidei praecepta  
accommodabat. Tam alte de Missae Sacrificio sentiebat ut nullo unquam  
incommodo ab ipso celebrando desisteret. Cum in itinere maritimo navis  
vehementioribus agitaretur fluctibus, P. Johannemann tamen a Missa ce-

lebranda non abstinuit, donec evidentia facti a pio conatu ipsum deterreret. Pridie quam mortem obiret adhuc Missae Sacrificium peregit, quod etiam postero die fecisset, nisi Adm. R. P. Rector strenue id recusasset.

In Officio divino recitando iure ac merito in exemplum eum proponimus. Ut ipse confessus est, ab Officio recitando ne semel quidem abstinuit, immo Matutinum et Laudes anticipare solebat, licet pluribus occuparetur laboribus et ad multam noctem labor protrahendus esset. Mirum sane quod ne in extrema quidem infirmitate Divinum Officium aut omisit aut commutavit. Etenim sopore adeo gravabatur ut Breviarium saepe e manibus exciderit, attamen P. Johannemann iterum atque iterum recitare pergebat tamque fidelis inventus est, ut Matutinum cum Laudibus diei mortis suae, Octavae nempe Patrocinii Sancti Ioseph, anticipaverit.

Nota characteristica R. P. Johannemann fuit certe spiritus laboris ac zelus animarum. Corpore sano atque robusto (minores infirmitates, velut febrim transientem, flocci faciebat), ingenio optimo praeditus et voluntate firma, immo ferrea, non is erat qui talenta a Deo recepta in terram foderet, sed ita laboribus incubuit ut de quiescendo ne cogitarit quidem. Cum adhuc plenis viribus uteretur et ministerio verbi occuparetur, quodam die cum R. P. Iacobo Wagner ad missionem habendam profectus est in provinciam Catamarca. Duobus diebus ac noctibus curru ferreo iter egerunt. Cum vesperi, die 28 Decembris 1913, ad stationem Cerro Negro pervenissent, iam equi parati erant ad iter proseguendum. Post cenulam P. Johannemann equos conscendere iussit atque itinere contendere eo, ubi missio habenda erat. Nox tepida, undique solitudo, hic illic arbusculae quaedam, fastidium itineris sublevantes. Iam vero sole oriente caelumque subeunte tepidus aër ardentior atque ardentior evasit. Arenae calorem immissum reverberabant. Hora 11 ad ruinas et casas pervenerunt pagi Nueva Londres. Hic R. P. Johannemann Missae sacrificium obtulit qua solatium ac refrigerium in arduo itinere et ardentissimis caloribus. Sex adhuc horis equitandum erat. Cum noctu ad pagum Belén pervenerunt et in humili domo diverterunt, sanguine vestes respersas observarunt; nihil tamen impedivit, quominus P. Johannemann primo mane equum conscenderet, iter acturus 45 kilometrorum, ut homini moribundo sacramenta deferret! — Non semel heros noster (quod nomen in hoc viro singulari sane non est adulatorium) sacrum suggestum ascendit, licet alta febris agigaretur. — Quo tempore Visitator Apostolicus erat, vix unquam ante mediam noctem cubitum ibat; adeo plurimis gravabatur negotiis et laboribus. Nihilosecius, si forte in aliqua domo nostra degebat, mane ad meditationem communem nunquam deerat.

Cum itaque tot ac tantos labores pro gloria Dei et animarum salute subierit, dubitandum non est quin post mortem eam requiem invenerit quae perpetuo est duratura, atque gaudium quod non auferetur ab eo in aeternum. R. I. P.